QUAEDAM DE MORBILLIS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Iacopo Boghetich

QUAEDAM

DE MORBILLIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

In pervetusto ac celeberrimo Archigymnasio Patavino

RITE ASSEQUENDAM

BOGHETICH JACOPUS

TARVISINUS

PROPONIT

PATAVII

TYPIS FRANCISCI CARTALLIER

1837.

EXIMIO . AC . PERILLUSTRI . VIRO

SEBASTIANO . LIBERALI

COETUS . HIPPOCRATICI . DECORI

NOSOCOMII . CIVICI . TARVISII . PHYSICO . PRIMARIO

ORPHANOTROPHII . MODERATORI . PRAESTANTISSIMO

SUMMO . PATRII . ATHENAEI . ORNAMENTO

PLURIMARUM . ACADEMIARUM . SODALI . MERITISSIMO

ETC. ETC. ETC.

HOC . PRIMUM . TENUISSIMUM . OPUS

OBSEQUII . GRATIQUE . ANIMI

MNEMOSYNON

DEVINCTISSIMUS . AUCTOR

D. D. D.

Impendenti operam mihi in medices artis argumento aliquo, ut mos, eligendo et dissertatiuncula colligendo atque exolvendo, ea potissimum sententia occurrit, ne impar novis rebus, multarum imperitus, specimine haud novitatis ornatum velim, quod refero. Praesta mihi ea fuit cogitatio, quod qui nova molitur, veteribus officit, idque non semper jure; aut quae ingerit, vel cito odiosa ut nocitura, vel spernenda ut obscura indigestaque sunt. Hocce à periculo abhorrens ex multis detraxi, ex memet consui; omne aliorum meumque propono. Nec improbum hacce castigabitis examen in trutina, quaerituri quid profuturum aptius tempori aetatique meae, hoc quam principio. Mox ducebar, nunc sequebar; illuc diverse agere, audacia; aliquibus dissentire, suo est uti judicio.

DE MORBILLIS.

Morbi definitio. — Exanthema illud primarium, contagiosum, quod, praevia febre, catarrhalibusque symptomatibus, quarto fere morbi die, parvorum sub specie punctorum rubentium, prominentiumque, florescit, sextoque et ultro, absque suppuratione, arere coepit, et furfuracea desquamatione desinit, morbillorum nomine venit.

Antiquitas morbi. — Quoad istiusmodi exanthematis originem nos de ignorantia absoluta criminari fatemur atque incertitudinem colere morbum, de quo agimus, veteribus sub *exanthematum ecthymatum, ecphygmatum, eczematum* nominibus innotuisse, juxta Fernelii relata (1), Sennerti (2), Haenii (3) aliorumque. Probabilis est illorum opinio, qui morbillos una cum variolis ab Afris in Europam delatos fuisse contendunt idque per cruciferorum agmina, saeculis XII et XIII. Quippe exinde venit, quod Rhazes, Riverius, Sennertus aliique morbillos inter ac variolas affinitatem quamdam conspexerint; et de utroque morbo conjunctim pertractare maluerint. Mortonus contra morbillos a purpura scarlatina solo gradu non natura differre existimavit. Inter eos, et sunt multi, qui nobis exactiores descriptiones morbillorum tradidere epi-

(1) Ep. med. VII, p. 137 — (2) De Feb IV, 12. p 610.
(3) Variol. antiq. c. I. §. 2, 16.

demicorum praesertim, sub febris morbillosae vel rubeolarum nomine, memoratu digni sunt: Sydenhamius,(1) Huxamius, (2) Hoffmannus (3).

Tamquam extensior morbillorum monographia, recensenda sunt quae Professor Speranza scripsit in opere, cui titulus *Storia del morbillo epidemico della Prov. di Mantova nel* 1822. (Parma 1824).

Morbi proprietates.— Morbillorum morbus, Sydenhamio et Mortonio adfirmantibus, saepe peculiaribus atmospherae conditionibus atque influxibus in humanos organismos, saepiusve simili producitur morbo, sive contagio. Communicatio contagii mediato aut immediato contactu conficitur. Exhalatio pulmonum cutisque, lacrymae, salivalis humor, sanguisque, per vulnus inflictui in maculas morbillosas vehiculum infectioni praebent. Tum aliquos quocumque anni tempore, tum autem plures vernali et autumnali speciatim invadit. Superficies cutanea membranaeque mucosae, frequentius illae organorum respirationis, eodem afficiuntur. De more cursum determinatum servat. Epidemice potius quam sporadice occurrit, profluviaque sanguinis, variaque mala postuma quorum dicendorum copia ingens adducit. Qui morbillis una saltem vice in vita non laboraverit, vix reperitur; nec ex morbo jam superato immunitas constans, cum ite-

(1) Op. p. 47, 243, 291. — (2) Op. tom. 1. — (3) Op. vol. IV

rum iterumque recurrat vel intra vitae tempus, vel intra breve spatium, vel sub alia vel sub eadem epidemica constitutione.

Morbi divisio — Praecipuae morbillorum divisiones, quae ab illis acutorum exanthematum generatim non discriminantur, ad sequentes redigi queunt. Haberi siquidem possunt morbilli 1.° *originarii*, sponte vel absque praegressa infectione oborti, ut Neotericorum Gallorum sequamur sententiam; et *communicati*, e contagio nimirum repetendi; 2.° *inflammatorii, nervosi, putridi* juxta febris, qua comitantur, indolem atque symptomata; 3.° *Simplices vel complicati*, prout soli, vel aliis morbis juncti procedunt; 4.° *epidemici et sporadici*, tum quia plures homines, vel singulos eodem tempore invadunt, tum quia modo universalibus modo individualibus conditionibus faventibus exoriuntur; 5.° *regulares* denique, vel *anomali* ex naturalis cursus servata vel non servata ratione.

Morbi hypotyposis. — Morbilli e contagio simpliciores lenioresque evadunt, dummodo qui iis adficitur prospera caeteroquin valetudine prorsus gaudeat opportune auxilium tum diaeteticum, tum therapeuticum subeat, geniusque epidemicus dominans inclementior minime fiat. Si mors morbi decursum breviorem non reddit, tria tantum stadia ipse percurrit, videlicet: *febrile, exanthematis, defurfurationis*

Stad. I. Cum agatur, ut aliquoties accidit, de miti morbo, stadium hoc symptomatibus vix sequentibus stipatur: universi organismi sensatio molesta, virium fractio, frigus calore alternans, coryza, tussis sicca, oculorum pruriens lacrymatio, rubedo, lucis horror, cephalalgia gravans, modica sitis, anorexia, nauseae praetereuntes. Symptomata porro haecce, vesperescente die, aliquantulum exacerbantur, tumque frequentior, durior, pleniorque pulsus tangitur. Ast, gravioribus in casibus, omnia superius recensita symptomata majori gradu; et iis palpebrarum, totiusque vultus turgorem adjicias, crebras sternutationes, vertigines, ad somnum proclivitatem, defatigantem respirationem, dolores lancinantes aut punctorios in pectore, deglutitionem atroci cum dolore perficiendam, animi impatientiam, et febrim phlogistici characteris atque delirium ferentem. Atque haec omnia per aliquot perdurant dies. Huc accedit, haud raro, nova gastricorum symptomatum series, diarrhoea, vomitus; exinde materies plerumque biliosa profluit, aegrotusque peculiarem emittit odorem, qui illius instar anseris interfecti, pennisque exuti est. (Heim.) Primo tum lumine horisque mane sequentibus remittit febris, aegrotique aliquo levamine cito gaudent; verum tussis ferocior saevit, ni acrimoniosi seri fluentis copia occurrat. Tali pacto tempore vespertino ac praecipue properantibus noctium tenebris morbus augescit.

Stad. II. — Morbilli fere semper secundae, sive tertiae vespertinae febrilis exacerbationis tempore apparent. Tunc primo in vultu, praesertim vero in fronte, sub summa inquietudine, anxietate, pulsuum irregularitate, convulsionibus, saepe epistaxi manifestantur, paullo postea ad brachia, postque decem et octo, viginti, vigintiquatuor horas ad pectus, ad abdomen, dorsumque, demum inferiores ad artus extenduntur, eas partes vitantes in quibus transpiratio copiosior efficitur. Maculae laeto-rubrae, primitus parvulae, raptim eo amplitudinis procedunt ut lenticulae sequentur. Hae oblongae, parum circumscriptae, ad periferiam pallidiores. In medio vesiculam resistentem, limpidum a principio humorem continentem intueris, quae, ad majus incrementum provecta, semilunari forma ad cutem emergit. Progressu tantum hujusce stadii eae maculae confluentes efficiuntur, aut racemos efformant haudque raro per omne corpus aequabiliter disperguntur. Miti in morbillo eruptione facta, nisi affatim, partim saltem symptomata moderantur: alio in casu hocce minime reperitur, excepto fortasse vomitu; imo plerumque tussis ferocior, dyspnoea augetur, oculorum fluxus, temulentiaque capitis crescunt, quibusque frequenter foetens sudor nec non aliquando mingendi difficultas copulantur.

Stad. III. — Duabus tribusve diebus efflorescentiae, statu istiusmodi, exanthema prosequ-

tur. Caeterum a sexto ad octavum usque diem aegrotus violento valde catarrho, febre intensa, symptomatibusque irritationis atque phlogoseos excruciatur. Interim eodem ordine quo adparuerat, pallescens sensim sensimque evanescit et furfura decidente persolvitur. Cuticula aliquoties semet pruritu exquamante, nona die vel, quod certius, undecima nullas fere macularum reliquias comperies. Tunc excreata concocta, puriformia, sudores odorem acidulum manantes, urinae copiosiori quantitate fluentes indiitaque criseos praeseferentes, epistaxis quandoque ipsaque diarrhoea morbo finem imponunt.

Morbi anomaliae commemorandae. — Morbillos a cursu antea dicto divertentes, nullum suis serbantes periodis ordinem, diversaque phoenomena proferentes, crebro occurrit videre. Hoc quam maxime tribuendum aegri temperamento, physicae constitutioni, aetati, vivendi modo, incongruis therapiae auxiliis, complicantibus morbis, atmospherae influxibus, aliisque. Facile exinde dignosci potest quot irregularitates hocce subeat exanthema et quantae difficultatis esset illas enumerare quidem, ne dicam describere. Nobis tantum praecipuae adsint.

Anomal. I. stadii — Gravi febri inflammatoriae violentissimae inflammationes partibus in variis organisque, uti, ophthalmiae valde graves, pleuritis, pneumonitis, angina faucium et aspe-

rae arteriae, copulantur. In morbillis febri nervosae nexis, summa virium prostratio absque causa manifesta, tristitia, concutiens frigus quod longo temporis spatio calore alternatur, quin capitis gravedo, vertigines, rubor lacrymaeque oculorum, inconcinni animi motus, lipothymias, somnolentia absint, accedunt. Aliquando continui vomitus, diarrhoeae foetentibus dejectionibus, cruentae, saepe molesto cum tanesmo, omnibusque fere in casibus summa spirandi difficultas, cynanchis nervosa, urinae pallentes, inveniuntur. Alios haemorrhagiae copiosissimae impetuossa, alios furiosa deliratio, tremitu artnum tendinumque subsultu, tenent. In morbillis autem putridaa febri junctis, gastrica, eminentiori iu gradu, symptomata cum urenti cutis calore et virium universalium prostratione, habentur.

Anomal. II. stadii. — Sunt qui absque ulla exanthematos apparitiona, febrim morbillosam admittunt. Nihilosecius magni nominis Practici supersedunt, probationem ab inoculatione attendentes. Manente febri phlogistici characteris, eruptio mature irregulariterque fit, tum febris prius violentiam suam quam moderet eo magis auget, vividiores maculae subeunt, magisque ingrandescunt. Quum autem febris nervosi aderit characteris, secunda die eruptio exanthematica plerumque contingit, aliquoties prius, aliundeque tertio etiam et quarto, at inordinate, frequenter, celeri-

ter, et eodem tempore partibus omnibus; symptomata catarrhalia non moderantur, at quidem crudescunt; calor, oppressio, inquietudo angmentum acquirunt, urescens, arescensque cutis, fauces siccae, lividaeque evadunt; lingua quoque arescit, foeda mucositate tecta; pulsus celeriores, debiliores, inaequales tanguntur, tum temporis morbilli livescunt, parum elevantur, irregulari figura, quandoque miliari exantbemati immixti, peticulis aliisque maculis. Levi vel ignota causa facile sub omnium jam enuntiatorum symptomatum exacerbatione avaneacunt. Putrido charactere febrium, rubeo-obscurum ad caeruleum vergentem colorem exanthema adsciscit. Communiter peticulis immixtum, magnam virium prostrationem, omniaque verae malignitatis indicia praeaefereus intueris.

Anomal. III. stadii. — Phlogistica sub conditione, omnia augentur symptomata, at solummodo epistaxi, aliave quaevis haemorrhagia aliquantisper leniuntur, aegrotis desquamatio de more precox. Nervoso sub statu crisis incompleta, vixque desquamatio visibilis. In putrido cuticula partibus etiamque integris resolvitur.

Morbi terminationes. — Utpote caeterum est morborum, ita morbilis triplex est terminatio, *valetudo, mors, alius morbus.* Qui simpliciter, regulariter, benigneque in individuis bonae constitutionis, aetatisque florentis, viri-

bus non exhaustis, aptato regimine ductis morbilli decurrunt, in pristinam valetudinem eorum, quos efficere, desinunt. Tantum morbillis diversimode incedentibus mors facile succedit. Praecipuae autem affectiones, quae ut morbillorum postuma habendae, sunt: angina faucium, praesertim infantibus, asperae arteriae inflammatio, pulmonumque, quae saepe chronica fit, phthysis tubercularis pulmonum, frequentiusque majori dispositione praeditis, ophthalmiae pertinaces, vasorum et glandularum lymphaticarum hydrops acutus, tumores varii curae obluctantes; furunculi saepe qui innovantur, facile in gangraenas transeuntes; diarrhoeae extremo pertinaces virium prostrationem, tabem etiam inducentes.

Morbi ab aliis discrimen.— Morbi morbillis propiores, quibuscum etiam a non imperitis confundi possunt, sunt:

1.° peticulae purpureae; 2.° miliares rubrae; 3.° urticaria; 4.° scarlatina.

Haud difficulter morbilli a peticulis sejunguntur si raro hasce vultu comparuisse dignoscatur, symptomatibus catarrhalibus sociatas non esse, maculas exanthema constituentes minime in racemos abire, tempus efflorescentiae indeterminatum observare, postremo desquamatione, finem minime absolvere.

Ita pro miliaribus rubris haberi nequeunt mor-

billi, nam miliares sudore valde copioso constanter praeceduntur, fere nunquam faciem occupant et denique quia eorum ordinaria magnitudine lenticularum illam non excedunt.

Urticaria aliud sistit exanthema quod non difficulter cum morbillis confunderetur nisi pruritus molestus eruptionem comitaret et prima vel et secunda morbi die ordinario non conficeretur, maculae largiores, aliquantulum ad periferiam elatae in centroque depressae non essent, ac aliquo ordine si tam ad locum, quam ad tempus respicias, manifestarentur.

Ast eo difficiliter a scarlatina magis discriminarentur morbilli, quacum confusi fuerant atque a veteribus, ut diximus, unum idemque habiti, ni Willanus aliique, qui eos ab illa secreverunt nobis anxiliarentur. Scarlatina revera ab iis differt propterea quod tussis, quae illae sociatur, brevis atque sicca, oculi, quamvis rubri et lacrymis suffusi, lucem tamen ferunt, eruptio secunda die solet evenire, maculae eo extenduntur ut tota cutis cooperiatur, vivido colore rubentes, nec multum elatae, quodque in ipsa frequentior deliratio, desquamatioque habetur patentior.

Aetiologia. — 1.° Causae disponentes: Huic morbo infantes et pueri quique eccitabili temperamento donati prae-caeteris disponuntur. Omnes porro ipsique senes et proles materno in claustro

adhuc vitam peragens affici possunt, ut Hildanus (1), Willanus (2) aliique testantur.

2.° Causae excitantes. — Ad infectionem contagii atque ad influxum peculiaris nec bene cognite adhuc aeris qualitatis annique temporis humanos in organismos, causae excitantes, quae habendae, rediguntur.

Prognosis. — Exanthema morbillosum mite atque benignum aegrotantis valetudine semper resolvitur. E contra grave atque malignum, epidemice praesertim grassans, vel que aliquo affini morbo junctum, innumeras victimas orci faucibus demittit.

In foetum gestantibus puerperisque, in praegressis morbis individuis labefactis, in potionibus spirituosis abutentibus, in quibus thoracis structura parum laudabilis evincitur, in aetate nimium provectis, morbus generatim magis est timendum quam contrariis sub circumstantiis Ita eruptio valde copiosa, tarda irregularis, quae facile partes internas quaerit semper periculosa a practicis habetur. Secundum P. Frank, sunt ipso exanthemate pejores magisque verendae morbillorum reliquiae. Tussis vehemens ultra stadium desfurfurationis perdurans phthisim tuberculárem persaepe efficit; tussis quae cum febre mitescit praesagium morbi feliciter evincendi.

Urens cutis calor, laboriosa respiratio, capitis temulentia, deliria, tumultuosa cordis et arte-

(1) Observ. chir. N. 55. — (2) l. c. pag. 175

riarum vis funestissimi exitus inditia sunt; sinistri quoqua auspicii vomitus, eruptione facta, perdurans; diarrhoea non effraenis atque copiosus urinarum fluxus prognosim faustam facere imponunt.

Caeterum desquamationis stadio mors plerumque obvenire consuescit et dies nona periculosior semper babebatur. Accomodata denique therapia bonnmqne regimen proguoseos utilitati valent conferre.

Therapia. — Hujusmodi exanthematos ea contagiosae aliorum indolis therapia minima differt. Morbus est praeveniendus, expressus curandus.

1.° Cura prophylactica. — Si aliquo individuo qui numquam morbillos subiit infectionem advenisse, tum ex illius cum adfectis, epidemica praesertim sub morbi constitutione, congressu, tum ex catarrhalibus symptomatibus, in ipso prodeuntibus suspicari licet, jubeto aegrotum diaphoreticorum tum internorum, tum externorum subire usum, et vitam omni sub respectu moderamine ducere. Aliquibus inoculationem arrisit proponere, qua primo Home dein Monró, postremo Locatelli usi sunt. Experientia teste, aut praevenitur, aut illius ope mitigatur morbus. Sanguis macularum, saliva, lacrymae, ipsaque furfura inoculationi inserviunt.

2.° Cura radicalis. — Diaeta, requies, mode-

rata temperatura, potiones diluentes, mucilaginosae, tepidulae, emollientium vaporum inspiratio, lux minime intensa consuetis in casibus medellam conficiunt. Ast cum morbilli difficilime prodeunt et febris characteris inflammatorii valdopere increscit, et phlebotomiam confugiendum erit, hujusque magis urgebit necessitas si tussis sicca violentaque, si dolor fere pleuriticus thoracis, si in respiratione difficultas et angor, si gravis oculorum fauciumque processus phlogisticus, aegrotum conflictent. Pro infantibus satis erit hyrudinum adplicatio ad tempora, vel ad processus mastoideos, collumque, vel pectus. Vapores de reliquo tepentis aquae; decocta antiphlogiatica mucilaginosaque, additis nitro et oxymele simplici; colutoria emollientia, quae faucium irritationem siccitatemque temperent; clysteres tum et quando oleo parati, opportuna evadunt remedia. Quocumque autem exanthematos periodo, si symptomata inflammatoria aegrotum fastident phlebotomiam et superius recensita remedia appetas. Eruptione vero moras nectante aut retro vertente, tartarus emeticus, ipecacuanhae radix, refracta dosi, et infusa diaphoretica florum thilii sambuci, verbasci etc., adjumento erunt. Quorum postrema remedia moderandae tussi, favendoque muci ex viis aercis excreatui potissimum inserviunt. Si vero febris character in putridum, uti dicunt, nervosumque vertat, caveas

ne aliquibus tantum falsisve symptomatibus decipiaris, veramque et prae oculis forsan reconditam morbi indolem minime dignoscas. Si quidem tum solummodo ubi de reali putrida nervosaque morbi natura certior fias licet tibi, quocumque in stadio, a remediis antiphlogisticis cavere, et ad excitantia atque roborantia confugere. In quorum selectu usuque, videas ne morbi indolem ex remediorum inconsulto admissis facultatibus, aut viceversa facultate remediorum ex praeconcepta morbi natura eruas.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Quantitas sanguinis ipsiusve qualitas mutari potest.

II.

Virtus pharmaci ab illa singulorum ejus elementorum differt.

III.

Morbi intermittentes non dantur.

IV.

Recta observandi deducendique ratio magis quam ingens observationum numerus veram experientiam constituit.

V.

Syphylis grave malum; remediis mercurialibus in eam abuti gravius.

VI.

Ex numero et communione aegrorum ad judicium de contagione ferendum falsa saepe via.

VII.

Chilissochisoraphia humano generi utilissimum inventum.

VIII.

Salus artificum servanda plures a medicis publicis curas exposcit.

IX.

Magnae medicinam inter ac aeconomiam politicam relationes dantur.

X.

Juxta Rasorium non datur angioitis.